

§. 6. Parti vero succumbenti *) liceat primum in sedem Judiciariam Comitatus; ex post vero extra Dominium in Curiam Regiam; in Sclavonia vero ad sedem Banalem, per viam appellationis provocare.

§. 11. In quibus vero Comitatibus Supremi Comites non essent; vel remotius existerent; extunc potiores Nobiles per Dominos Palatinum, vel Judicem Curiae; in Sclavonia vero per Dominum Banum nominandi, praefatam Limitationem et Executionem peragant.

Colonos fugitivos Capitanei Confiniorum, aliaque Oppida, quae eos in medium ipsorum recipiunt; sub poena Decreti restituant.

A r t i c u l u s 36.

Colonos et servos fugitivos Dominorum et Nobilium, ad bona suae Majestatis, vel Confinia tam Ungarica, quam Sclavonica fugientes; Capitanei, ita et incolae Possessionis Oroszfalva, sub fortalitio Drégel existentis et Szathmár, Némethi, Nyir-Báthor, Bereghszász et Vaáry (qui nescitur sub cuius Privilegii praetextu, rusticos fugitivos apud se detinere non verentur) sub poena in Decreto statuta, ad bona priora reddere et restituere teneantur. **)

De introductione Domini Bani Regni Sclavoniae, et de Juridicis ejusdem expeditionibus pro legitimis et authenticis habendis.

A r t i c u l u s 38.

Introductionem Banalem (quam Sacratissima Caesarea Regiaque Majestas idem, adhuc superiorum Constitutionum tempore, se maturaturam clementer obtulerat) ut sua Regia Majestas juxta modernam etiam suam benignam resolutionem, ante felicem suum ad Comitia Imperialia profectum, debito effectui mancipare clementer dignetur; Status et Ordines supplicant.

§. 1. Universae vero et quaevis Juridicae expeditiones, hactenus sub Sigillo authentico moderni Domini Bani emanatae et usque ad introductionem ejusdem emanandae, nulla obstante exceptione introductionis hactenus non factae, pro authenticis habeantur et legitimis, statutum est.

De Limitatione Contributionum per Valachos praestandardarum; renovantur Articuli praeteritarum Constitutionum. Item de Legatione Graecensi prosequenda.

A r t i c u l u s 39.

Limitatio Contributionis et subjectionis Valachorum in Regnis Sclavoniae et Croatiae, in territoriis Dominorum et Nobilium, tam Regni hujus Ungariae, quam eorundem Regnorum residentium, eo quod immediate ad Jurisdictionem Sacrae Regni Coronae et per consequens Sacratissimae suae Majestatis iidem Valachi spectant; refertur ad Articulos proxime praeteritarum Constitutionum.

*) Confer An. 1719. a. 32.

**) Renovatur; An. 1618. a. 48. An. 1622. a. 27. An. 1635. a. 47. An. 1638. a. 67. An. 1655. a. 43.